



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 215. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce. v. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Ineffabilis peruersitas & impietas Iudæorum & Principum, qui in id totis incumbabant viribus ut quemadmodum corpus Iesu arriuerant, peneque in nihilum redegerant, ira & gloriosum eius nomen penitus obliterarent: sed quanto id fecere studiosius tanto plus Christum exaltarunt, maioremque eius nomini dedere splendorem & gloriam: putabant quidem posse se illud per mortem turpissimam delere penitus, sed potius in sublime tulerunt addentes: si Rex Israel est.

O Iesu patientissime, potentissime, clementissime, qui non vis te saluum facere, ut me saluifices; vis illudi, ut ego lauder; vis pati, ut mihi bene sit, vis mori, ut ego vivam, quid retribuam tibi Domino meo, pro his quæ retribuisti mihi? laudent te cælum, terra mare & omnis creatura eius in sæcula sæculorum, Amen.

§. 215. Si Rex Israel est, descend. et nunc de cruce. v. 42.

Mira res! mira suasio! si tibi ô Sacerdos diceret inimicus tuus, si Sacerdos descende de altari, exi de templo, quid responderes ei? Hoc ipsum tibi Respondet crucifixus meus Rex. Si tu de templo & ara discedere non vis, ut te non neges esse Sacerdotem, quid suades Iesu Nazareno descendere de cruce? Video, quid velis titulum eius *Iesus Naz. Rex Iudæorum*, non potuisti mutare, cum Pilato, iam vis ut ipse eum sibi incipiat abrogare. Et hoc fecisset, si ad tuam suasionem de cruce descendisset. O callida vertutia! sed quæ maiore arte delusa est, nempe mansione.

O Rex Gloriæ, Rex virtutum, dicebant tibi callidi insidiatores regni tui, si Rex Israel est, descendat, sua vel suorum satellitum vi. advocet militiam suam, si habet obedientiam; si non, quomodo assumis tibi honorem & regiam dignitatem. Quæ ei non debetur, si subditos non habeat, neque militem, aut si Rex est, cuius regnum non est de hoc mundo, uti dixit, veniant ministri eius cœlestes vel infernales ad liberandum eum? monstret vel ex aliqua parte regni sui potentiam regiam dignitatem vel obedientiam subditorum.

Ita te Iesu subsannabant isti fatui putantes se esse sapientes. Sed tu Domine melius habebas consilium, quam illi, & operaberis per ipsos sermones eorum patienter toleratos mirabile opus redemptionis ipsorum, & omnium, confusionem Diaboli, & mortis. Idcirco ego te Domine suspicio ut sapientissimum ut magni consilii Deum adoro; Da mihi gratiam ut in spiritali sapientia tua proficiam.

§. 216 Et credimus ei. v. 42.

Diu optatam Christo, hic denique audio promissionem. Bene habet,
iam